

isse, dum initium operis parat (cf. infra de III 23). neque aliter res se haberet, si a caelestibus eum initium cepisse et in terrena finivisse coniceremus. immo aliquot libris absolutis consilium operis Senecam patefecisse nunc inter omnes fere constat. neque enim audiendi sunt, qui prima capita libri II de aëre conscripta ab ipso libro temere secreta toti operi praefigere conati sunt: ipsum enim Senecam correxerunt (cf. II 11, 3 et Stud. I 115. 118). hic igitur consulto ordine inverso partes illas enumeravit, postquam terrena absolvit.

Haec enim ante sublimia, caelestia post haec conscripta esse pluribus probatur. inter omnia autem argumenta gravissimum illud est, quod p. VII dixi, de novi operis consilio auctorem in praefatione libri III referre; neque enim in libro paenultimo de fundamentis ponendis eum agere veri est simile, neque est, cur praefationem ab ipso libro III seiunctam olim fuisse suspiciamus. accedunt alia, quibus terrenis (III IVa) primus attribuitur locus. hanc enim partem ad finem perduxerat libellosque Lucilio suo miserat, cum VI 8, 3 *nescis autem inter opiniones, quibus enarratur Nili aestiva inundatio, et hanc esse eqs.* moneret; placitis enim de Nilo congestis aliquid novi addendum esse ratus ipsum librum IVa non retractavit sed miro modo inter causas terrae motus caput illud inseruit (Stud. I 122). atque historiola quaedam IVa 2, 13 fusius enarrata quid doceat, II 59, 5 tam breviter adumbrat, ut illius fabulae immemores ne intellegere quidem quid cogitaverit possimus. neque igitur dubium, quin l. IVa ante II et VI conscriptus sit. minus nobis persuasit quod G. Mueller posuit, ad III 16 respicere verba, quae V 14, 1 *repetam nunc quod in primo dixeram* leguntur, nisi a primo emendaturus es. in primo enim de initio eiusdem libelli dici (cf. V 4) Schultess rectissime monuit; attamen cum V 4 eadem perstringatur tantum doctrina, ipsa verba III 16, 4 exstent, Seneca utriusque loci quasi in unum confusi V 14, 1 videtur meminisse. neque igitur coniectura opus est ad ordinem libellorum et temporum definiendum.